

jaspidem fugiat? prudentiores facile capient.

§. 16. Inter lapides perlucidos, merito numero LAPIDEM SPECULARREM, sive GLACIEM MARIAE, Græcis σεληνίτης, & Germanis Frauen-Eiß/Marien-Eiß/ Marien-Glaß. Hic lapis cum gypso ejusdem fere naturæ est, si exceptio, quod gypso perlucidior & purior sit: quod facili negotio probare possum, si lapidem nostrum in Gypsum comburo: & quod natura in terra, ex Gypso puriore, lapidem specularem producat. Reperitur aliquando in agro nostro, in venis Gypseis, quamvis in frustis minoribus. Copiosior autem circa arcem Schwartzenburgicam, cuius frusta aliquando quatuor digitorum latitudinem superant, & vitro veneto pellucidiora sunt. Aliquando etiam circa Numburgum urbem occurrit; copiosus vero in Thuringia ad secundum lapidem à Northusa, in Steigera valle: & in Misena ad Salam, teste Agricola de nat. fossil. Lib. V. Cap. 9. Impurus contra specularis lapis est, qui prope vicum Pösenek eruitur, luteus existit, & non admodum perlucidus est.

§. 17.